



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxiv [i.e. vi]. Species est quid essentialiter completum, intentionaliter indivisum, physicè divisum in plura individua non notabiliter differentia, deq[ue] ijs prædicabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

ad quintum, si sumatur logicè, hæc enim prædicatio; *Petrus est individuum*: non minus est quinti, prædicabilis, quàm hæc: *homo est species*.

VI. SPECIES spectata absolutè est quid extrinsecè unum inexistentis multis per modum naturæ completæ, vel est natura essentialiter completa, intentionaliter indivisa, physicè divisa in plura individua non notabiliter differentia; quæ definitio convenit etiam speciei subalternæ v. g. *animali*, ut concipitur conceptu naturæ completæ, sive ut quid constans genere & differentia, mirum vivente & sensitivo. Spectata ut prædicabilis, est unum aptum tantum prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid completè. Qualis tamen non est prædicatio; *Petrus est animal rationale*; non prædicatur enim in quid completè incomplexè, sed hæc potius est in quid & quale. Dum autem rationale prædicatur de hoc, illo & isto rationali, prædicatur completè ut species, ad quod sufficit, ut species exprimat totam essentiam logicam seu prædicabilem de multis, etsi non exprimendo differentiam individualem, non exprimat

mat totam essentiam physicam. Spectata ut subjicitur generi, est natura intrinsecè multiplex, extrinsecè una, quæ subjicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur: quæ talis non est universale, quia in tantum non est respiciens multa inferiora, de quibus prædicetur. Neque inferius ut inferius participat rationem superioris sui; nam ut inferius supponit rationem sui superioris participatam, ideoquè est inferius; adeoque non ideo participat rationem sui superioris, quia est inferius, sed ideo est inferius, quia hanc participat: sic itaque sufficit, ut species, quæ est inferior genere, sive quæ est subjicibilis participet rationem superioris, nimirum universalis. Dividitur species in prædicabilem tantum, quæ nulli subjicitur generi, sed tantum de individuis prædicatur, talis sunt, differentia & propria: v.g. *rationale*, *risibile* respectu hujus & istius risibilis & rationalis. In prædicabilem & subjicibilem simul, quæ tam respectu superiorum, quàm inferiorum est species, ut *homo* aliæquè species infimæ seu atomæ; & in subjicibilem tantum quæ respectu superiorum est species, respectu inferiorum genus, ut *animal*.